

Protonotariis apost. licet, ubi adest Capitulum Colleg., locum habere in eadem Ecclesia, rocchetto et mantelletto indutis, dum concionibus et Divinis aliisque ecclesiasticis functionibus assistunt et in eodem habitu post SSimum vel Celebrantem in processionibus incedere. n. 1463 die 11. Julii 1643.

Protonotarium debere sedere post Canonicos, vel ubi Capitulum non existit, post rectorem Ecclesiae immediate vel alias facientem Officium. In processionibus vero pariter eodem loco, vel nisi adsit Magistratus, posse etiam uti Praelatus incedere post baldachinum. n. 2000 die 2. Aug. 1659.

Nullò modo *Canonicum Protonotarium* posse lucrari distributiones quotidianas et fructus suae praebendae, nisi in habitu canonicali in choro et in Ecclesia assistat horis canonicis et divinis Officiis et cum eodem habitu incedat in processionibus in loco sibi debito veluti Canonico et non tamquam Protonotario. Quod si voluerit in habitu Protonotarii in Ecclesia incedere, nihil participare possit de fructibus et distributionibus Canonici et uti extraneus reputabitur eique locus assignandus erit post Abbates, non supra nec inter Canonicos (*Caer. Ep. lib. I. cap. XIII. n. 12.*) n. 1534 die 12. Julii 1645; n. 2833 die 10. Julii 1677.

Protonotarios apostolicos *non participantibus* non posse circa pileum gestare cingulum nec spineam violacei coloris. n. 1651 die 28. Sept. 1652.

Episcopus non permittat *Canonicum Protonotarium* uti ornamentis violaceis in pileo neque praelatio habitu indutum Capitulo interesse. In choro autem provideat, ut idem Canonicus, si velit Divinis adesse, vel sedeat ultimus omnium habitu praelatio indutus neque distributionibus gaudeat, aut suo loco habitu canonicali suffultus maneat, si velit fructus suos facere. n. 2038 die 28. Febr. 1660;

n. 2894 die 17. Junii 1679; n. 3106 ad 1—3 die 23. Mart. 1686.

*Ad dubium*: an Protonotarii apost. e numero non participantium possint *praesente Episcopo* uti habitu praelatio?

S. C. resp.: Servari consuetudinem. n. 1940 ad 1 die 7. Dec. 1658.

*In supplendis vicibus Archipresbyteri* Protonotarius apost. non est praefendus Presbyteris ejusdem Ecclesiae obsequio addictis nec senioribus sacerdotibus extraneis et ei non competit habitus praelatio delatio. n. 1958 die 15. Febr. 1659.

Protonotarius apostolicus, Prior et Curatus, potest uti habitu Protonotarius tam in sedendo quam in procedendo inter suum Clerum ruralem et illum urbanum sine lucro distributionum; et competit ei locus inter alios Protonotarios sed sine praecedentia respectu Prioratus. n. 2229 die 16. Junii 1663.

*Parochus Protonotar.* non praecedit super alios parochos, qui non sunt Protonotarii, quia praecedentia inter parochos sumitur ex praerogativis Ecclesiae parochialis. n. 2778 ad 2 die 21. Mart. 1676.

Ad instantiam Abbatis Protonotarii tituli de numero non participantium contra Archipresbyterum in Galilea et alios parochos S. C. censuit: Stante quod non constet de Collegialitate parochorum supposita recedendum esse a decisio die 13. Julii 1675 et praecedentiam deberi dicto Protonotario, eumque posse intervenire in functionibus eccles. controversis et in presbyterio loco digniori cum habitu tamen praelatio, nempe rocchetto et mantelletto coloris violacei, et in processionibus incedere debere post SSimum vel post Celebrantem, sed non lucrari fructus et distributiones quotidianas. n. 2818 die 3. Apr. 1677.

Delata controversia inter Capitulum Colleg. Spoletanae et Angelum Placidi

Coadjutorem Prioris ejusdem Ecclesiae: an eidem Placidi competat jus lucrandi distributiones, dum interest choro cum habitu Protonotarii, non vero cum vestibus et insigniis canonicalibus?

S. C. resp.: *Licere Coadjutori Placidi adhibere vestem praelatiam in choro et quotiescunque tali veste indutus choro interfuerit, facere fructus suos et distributiones lucrari.* n. 4457 die 31. Aug. 1793.

*Ad dubium*: An Praeposito Cathedralis Burgi S. Sepulcri, qui est Protonotarius Apostolicus de numero non participantium, liceat in choro aliisque functionibus ecclesiasticis incedere cum habitu praelatio, nempe rocchetto et mantelletto et suum retinere locum et stallum, reluctantibus Dignitatibus et Canonicis in casu etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

„Affirmative, omissis distributionibus et amplius.“

N. 3951 die 22. Aug. 1722.

#### Pius PP. II.

Notariorum (Protonotariorum) nostrorum nullus deinceps *Episcoporum venerando sanctoque ordini tamquam honorabiliorem sese audeat antepone*. In *Capella nostra* in banco seu scamno secundo post Episcopos eorum sedeant secundum ordinem institutionis eorum. In *Consistoriis vero publicis* (ubi de rebus, quae gerunt, ut authentica conficiantur documenta, rogari consueverunt) quatuor ex eis, qui numerarii dicuntur, aut ipsis absentibus totidem ex aliis secundum institutionem eorum seniores, juxta gradum ap. solii honorabiliorem teneant locum sedique nostrae proximiores assideant. In *aliis autem locis* tam in Curia quam extra ubique gentium atque terrarum Archiep. et Episcopos omnes Notarii nostri *sequantur* eisque cedant et quod in Episcopis

sancimus, ad ecclesiarum Cath. auctoritate ap. electos pariter et confirmatos extendimus.

Datum Mantuae die 1. Junii 1459. (Bull. rom. t. I. p. 369.)

#### 8) Privilegia.

*De Protonotariis participantibus et extra participantibus.*

Vd.: *Proton. tit.* (privil.)

#### Pius PP. IX.

Ad perpetuam rei Memoriam.

Quamvis peculiare facultates ac privilegia nonnullis personis seu Collegiis ad eorum remuneranda merita vel dignitatem amplificandam ex Romanorum munificentia Pontificum concessa atque attributa sint, ea tamen moderanda censem et vero etiam abroganda, quum minus opportuna temporibus ac bono publico minus consentanea deprehendamus. Antiquissimum porro est in hac Romana Ecclesia Collegium septem Notariorum a s. Clemente I. Praedecessore Nostro ad consignanda literis, posterisque Martyrum gesta institutorum, qui postmodum ob muneris praestantiam Protonotarii dicti sunt et pluribus singularibusque privilegiis decorati: Ipsi quidem fel. mem. Sixtus V. Praedecessor noster nedum antiqua privilegia confirmavit, verum nova etiam atque ampliora largitus est per Apostolicas suas sub plumbo datas literas 9. Febr. anni 1586. Quum vero idem Collegium Protonotariorum ob praeteritas rerum vices ad paucos redactum pene extinctum esset, paternas ad illud curas convertens recol. mem. Gregorius XVI. Decessor Noster per suam Constitutionem 6. Idus Februarii anni 1838 editam ipsum ad pristinum septenarium numerum veteremque splendorem restituit. Jam vero singularia inter privilegia memoratis comprehensa literis Sixti PP. V. aliqua Nos

affinium secum cohabitantium nec non famulorum suorum praesentia Missam vel per se celebrare vel per quemcumque Sacerdotem saecularem vel cujusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint et valeant.

Haec Nos statuimus, decernimus atque mandamus, non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo nec non superius memoratis Sixti V., Urbani VIII., Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum literis aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis speciali licet mentione dignis, nec non praefati Collegii Protonotariorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Febr. an. 1853. Pontificatus Nostri an. VII.

A Card. Lambruschini.

#### 9) Thurificatio.

Vd.: *Thurif.* (Papa celebr. et assist.)

Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, praesente suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis; post praedictos thurificantur Protonotarii *participantes*, deinde Nuntii apost., Praelati non existentes in loco eorum jurisdictionis sed transeuntes; tum Dignitates et Canonici secundum eorum ordinem, tum Abbates benedicti

et post eos Protonotarii *supranumerarii*, nisi essent consanguinei alicujus maximi Pontificis, qui pro judicio Episcopi thurificari poterunt loco convenienti ante Dignitates et Canonicos.

Caer. Ep. l. I. cap. XXIII. n. 29.

### PROTONOT. TITUL.

#### 1) Bened. param.

Protonotarius titularis paramenta benedicere non potest.

S. C. R. die 27. Julii 1627.

#### 2) Celebrans.

Vd.: *Protonot. titul.* (privil. n. 6. etc.); *Usus Pontif.* (Decret. Alex. VII.)

Protonotarius titularis non potest paramenta sumere pro Missa de altari sed in Sacristia ut caeteri S. C. R. in Asculana in Apulia 6. Mart. 1610.

Protonotarius ut Dignitas non potest praeparare Abacum, dum celebrat more Praelatorum. S. C. R. in Comaclen. et Neocastren. 21. Aug. 1601.

Protonotarius titularis non participans potest apponere Pileum super insigniis et habere anulum, dum celebrat, dummodo non cum Gemma. S. C. R. in d. Comacl. et Neocastren. 21. Aug. 1601 apud *Cordubum* in Prax. dispens. Apostolicarum lib. 5. cap. 6. n. 52., *Barbosa* in summa decis. Apostol. verb.: *Protonotarius titularis n. 6.*, *Pitton*. Constitut. et decis. ad Canonicos n. 119.

Unde, quamvis Protonotarii titulares non possint in Missa gestare anulum cum Gemma, ut censuit S. C. R. in d. Comaclen. et Neocastren. et alias die 13. Febr. 1625 et 20. Nov. 1620 apud *Pitton*. l. c. n. 459. ex *Gavant*. his verbis: Annulli usus prohibetur Protonotariis non participantibus, doctoribus quibuscumque, Canonicis Cathedralium, tamen die 4. Aug. 1663 ead. S. C. R. apud eundem *Pitton*. l. c.

n. 722. ex eodem *Gavant*. statuit, ut sequitur: Possunt Canonici Missam celebrare cum annulo aureo et de rigore uti, sed sine Gemma et sine aliqua effigie.

Vd.: *Annulus*.

#### 3) Habitus.

Vd.: *Protonot. titul.* (privileg. etc.)

Protonotarius titularis seu extra numerum non potest prohiberi deferre habitum praelatitium, nempe rocchetto cum mantelletta coloris violacei et in Ecclesiis et functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere et sedere juxta dispositionem Caeremonialis lib. 1. cap. 13. S. C. R. in Mazarien. 28. Sept. 1630 et in Catanien. 5. Julii 1631.

Protonotarius incedere potest cum habitu praelatio et suum retinere locum in choro. S. C. R. in Burgi Sancti Sepulcri 22. Aug. 1722 teste *Ursaya* in Miscell. primo littera C. n. 36.

Vd.: *Protonot. apostol.* (privileg.; Praecedentia, habitus etc.)

#### 4) Praecedentia.

Vd.: *Protonot. titul.* (privil. etc.)

Protonotarius titularis praecedit Canonicis Cathedralium uti singulis, non autem collegialiter. S. C. R. in Concord. 16. Maii 1601 et 12. Julii 1603.

Protonotarii titulares post Abbates et non supra sedere debent. S. C. R. in Asculana in Apulia 6. Mart. 1610.

Protonotarii titulares tam in sessionibus in Ecclesia quam in processionibus debent cedere locum digniorem officialibus Episcopi et Dignitates obtinentibus et Canonicis ecclesiarum Cathedralium. S. C. R. in causa Castellae et Legionis 30. Apr. 1604; Clemens VIII. Constitut. incip.: *Decet Romanum*.

Protonotarii titulares neque supra neque inter Canonicos locum habere debent. S. C. in Spoletana Terrae Casciae 23. Mart. 1619.

#### 5) Privilegia Protonotariorum Titularium seu honorariorum.

Vd.: *Proton. ap.* (privil.)

Quamquam plura de Protonotariis, quos titulares seu honorarios dicunt, a S. R. C. decreta edita sint, prout videre est in nuperrima decretorum ejusdem collectione, experientia tamen compertum est, complures abusus percubuisse illorum culpa, qui nullis, licet ut plurimum nominibus commendati, talem honorem assecuti vel jure sibi vindicare audent, quibus careant omnino vel delatae dignitatis insignia indecore admodum adhibent, ut ne dum ipsorum splendorem haud referant pro dignitate, sed labem potius ordini spectatissimo parent.

Quare habito ad infrascriptum diem conventu in aedibus memorati Emi et Rmi D. Card. de Somalia Praefecti, omnibusque serio diligenterque perpensis id in primis communi sententia visum est decernere, ut nimirum personarum delectus haberetur in Protonotariatus honore deferendo, ut non nisi, qui rite, honeste ac pro dignitate id honoris sustinere valeant, eodem ornentur.

Proferantur idcirco Testimonia, quibus constet indubie:

1. De nobili vel honesta familiae conditione.

2. De Aetate saltem annorum viginti-quinque.

3. De statu clericali et caelib.

4. De Laurea Doctoratus in utroque jure vel in s. Theologia a probata Universitate vel a Collegio Protonotariorum participantium rite tributa.

esse animadvertentes, quae neque praesenti temporum conditioni neque publicae rei bono convenire compertum sit, idcirco alia ex iis moderanda seu quibusdam subjicienda conditionibus, alia vero penitus abroganda existimavimus.

Et quidem privilegium promovendi ad gradum doctoratus in utroque jure ex commemoratis Sixti V. literis Collegio Protonotariorum impertitum jamdiu moderatus est ac coarctavit fel. me. Benedict. XIV. per Apostolicas suas sub plumbo datas literas 4. Kal. Sept. anno 1744, quibus definivit edixitque, licere Protonotariis Apostolicis, quatuor dumtaxat personis in singulos annos, eisque non absentibus, sed realiter in Urbe praesentibus doctoralem Lauream in utroque jure deferre, praevio tamen diligenti ac severo examine per ipsosmet Protonotarios personaliter ac collegialiter instituendo, juxta Apostolicas in forma Brevis literas Urbani VIII. die 5. Sept. an. 1629 evulgatas; quempostea personarum numerum idem Benedict. XIV. in ipsis illis supra memoratis literis ampliavit in benevolentiae et honoris testimonium erga Protonotariorum Collegium; ipsis quippe concessit, ut in posterum non quatuor tantum singulis annis, verum sex personas in Urbe tamen praesentes doctoris Laurea in alterutro sive utroque jure decorare possent, servata forma ac conditionibus inibi praescriptis et explicatis.

Nos igitur commune bonum prae oculis habentes motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, supra memoratis Apostolicis liberis tum Sixti V., Urbani VIII., Benedicti XIV. et Gregorii XVI. Praedecessorum Nostrorum, quatenus opus est et in iis dumtaxat, quae Constitutioni huic Nostrae adversantur, derogantes, Protonotariis Apostolicis *de numero participantium* vulgo appellatis privilegium *deferendi*

*doctoris gradum seu Lauream in Theologia et in alterutro vel utroque jure ratum habemus ac confirmamus*, servatis tamen conditionibus infra explicandis; *in Philosophia vero, in Medicina aliisque artibus seu scientiis ac facultatibus omnino tollimus atque abolemus*. Volumus autem atque mandamus, ut quatuor dumtaxat personis in facultate theologica, ac quatuor itidem in alterutro vel utroque jure in Urbe tamen praesentibus, doctoris gradum deferre valeant, utque de hujusmodi personis doctoris gradum petentibus antea ad Nos nostrosque in Apostol. Sede successores referre debeant, secus concessio doctoralis Laureae nulla atque irrita sit.

Praecipimus etiam, quod jam a Benedicto XIV. Praedecessore Nostro praescriptum est, ut si dictus numerus personarum ad gradum doctoris promovendarum uno anno quavis de causa non sit completus, minime absolvi et compleri possit annis subsequentibus. Jubemus praeterea, ut ad instituendum candidatorum examen Protonotarii convenient numero saltem quinque; quod si, aliquibus eorum impeditis, hujusmodi numerum pertingere nequeant, ad illum explendum Archigymnasii Romani Professores adsciscant, denique ut in hujusmodi examine omnia servare debeant, quae de periclitanda scientia promovendorum ad gradum doctoralem praescripta sunt per Leonem XII. Praedecessorem nostrum in sua Constitutione: *Quod divina sapientia*. Si secus fecerint, concessionem doctoralis laureae irritam declaramus.

Volumus insuper atque mandamus, ut de Laureis collatis certiore faciant quolibet anno Congregationem S. R. E. Cardinalium studiis moderandis praepositam, utque ad normam praefatae Constitutionis Benedicti XIV. nota rogatus promotionum, descriptis promotorum nominibus et cognominibus in-

fra mensem a die cujuslibet promotionis computandum ad archivium urbanum per Secretarium Collegii ejusdem vel per ipsos promotos deferatur, ac postquam ejusmodi nota ad archivium praedictum delata sit, promotus ad Lauream doctoralem pro legitime promotus haberi debeat ad quovis juris effectus; alias doctoratus nullus sit atque irritus nec promotus ulla ratione suffragetur.

In exercendo autem privilegio, quo iidem Protonotarii gaudent ex memorata Sixti V. Constitutione, *unum scilicet Protonotarium quotannis creandi absque tamen exemptionibus et privilegiis, hoc est mere titularum*, volumus ac jubemus, ut in posterum, nisi consultis antea Nobis Nostrisque in Apostolica Sede successoribus, neminem ad hujusmodi honorem et gradum promovere possint et valeant. Facultatem vero Notarios seu tabelliones publicos creandi dictis Protonotariis prorsus adimimus. Praeterea omnino tollimus atque abrogamus privilegium juxta antedictam Sixti V. Constitutionem Protonotariis eisdem attributum, *spuriis scilicet aliisque ex quovis illicito concubitu procreatos legitimandi ad successionem quorumcumque honorum sive ex testamento sive ab intestato eosque idoneos declarandi ad quovis honores, dignitates et Officia, sive publica sive privata exercenda, prout fuisset hac super re in memorata Sixti PP. V. literis continetur. Item irritum esse volumus* planeque abrogamus alterum privilegium, ut *tam Protonotarii Apostolici ipsi quam eorum consanguinei, affines et familiares*, sive in Urbe sive in tota ecclesiastica ditione, *arma prohibita absque speciali permissu et licentia deferre possint et valeant*.

Quoniam vero consueverunt Romani Pontifices praeter septem Protonotarios vulgo *participantes* appellatos,

*aliis etiam ecclesiasticis viris hujusmodi honorem deferre, ita tamen, ut licet de participantium numero minime sint*, ad eorum instar censeantur, idcirco, ut majus inter eos discrimen extet, volumus ac mandamus, ut *septem Protonotarii participantes a locorum Ordinariis eorumque jurisdictione liberi atque exempti* Nobisque et Apostolicae sedi immediate subjecti maneant juxta Sixti PP. V. concessionem: alii vero *Protonotarii ad instar participantium*, sive ad hunc honorem jam electi sive in posterum eligendi *locorum Ordinariis* juxta communis juris regulas *subjecti omnino sint ac censeantur*, quemadmodum ipsos tenore praesentium Ordinariorum jurisdictioni plane subjicimus ac proinde sine illorum assensu nunquam poterunt Pontificalia exercere. *Insuper Protonotariis participantibus privilegium Altaris portatilis ratum habemus ac confirmamus, ea tamen lege ac conditione, ut illud in alienae habitationis domibus erigere nunquam possint, nisi ipsi occasione itineris seu hospitii gratia in iisdem domibus diversentur; utque Missa, quam super idem Altare portatile decenti semper in loco erigendum diebus etiam solemnioribus vel per se celebraverint vel per alium Sacerdotem saecularem seu regularem rite probatum celebrare fecerint, tum Protonotariis ipsis eorumque consanguineis et affinibus cohabitantibus, tum personis eorum famulatu seu comitatu addictis, nunquam vero aliis personis, in ecclesiastici praecepti implementum suffragetur.*

Protonotariis vero ad instar participantium, qui jam creati sint vel in posterum creabuntur, idem altaris portatilis privilegium tollimus eisque dumtaxat concedimus indultum privati Oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus in consanguineorum et